

Ashburn-
ham.

Hastings.

Quinque
Portus.

21. Edw. 1

Comites
Ew.Inquifi-
tio 5.
Edw. 1.Guilielm.
Dominus
Hastings.

in vicinia memoratu dignum vidimus, quam *Esburnham*, quæ familiæ sane si qua alia in hoc tractu vetustæ nomen impertiit suum.

Hastings illa, quam dixi, Saxonice *Haringa-cæst* dicta, eodem littore superius sedet. Sunt qui ridicule ab agilitate hoc nomen è nostra lingua deducunt, eo quod, ut scribit M. Parisiensis, apud *Hastings* ligneum agiler *castrum* statuit *Guilielmus Conquestor*. Videatur tamen potius ab *Hastingo* Danico pirata hoc novum nomen accepisse, qui ubi exscensionem prædabundus fecit, castella aliquando extruxit, ut apud *Afferium* *Menevensis* de *Beamstote* castro ab illo posito in *Essexia*, aliisque ad *Apledor*, & *Middleton* in *Cantio* legitur. Hæc regnante *Athelstano* suam habuit officinam *Monetariam*, & *Capitalis est Portus* in numero quinque portuum, qui cum suis membris *Winchelsey*, *Rhy*, &c. naves *xxi*, ad bellum navale invenire tenebatur, si qua forma aves scire, & hic & cæteri pro immunitatibus quas habent amplissimas Regi bello navali militare obstructi fuerint, habe iisdem verbis quibus hoc in *Scaccarium* *Regium* olim relatam fuerit. *Hastings cum suis membris debet invenire ad summonitionem Regis *xxi* naves. Et in qualibet navi debent esse *xxi* homines fortes, apti, bene armati & apparati ad servitium Regis. Ita tamen quod summonitio inde fiat ex parte Regis per *xl* dies ante. Et cum prædictæ naves & homines in illis existentes ad locum illum venerint ad quem fuerint summoniti, morabuntur ibidem in servitio Regis per quindecim dies ad custos suos proprios. Et si Rex servitio illorum post prædictas quindecim dies indigerit, seu ipsos ibidem amplius morari voluerit, erunt naves illæ cum hominibus in illis existentibus in servitio Regis morantes ad custos Regis quamdiu Regi placuerit. Videlicet Magister capiet sex denarios per diem, & Constabularius sex denarios per diem, & quilibet aliorum tres denarios per diem.*

Totum *Rapum de Hastings* & *Honorem* tenuerunt *Comites Aucenses* vulgo de *Augi* sive *Ew* in *Normannia* dicti; à filio notho *Richardi Primi Ducis Normanniæ* oriundi, usque ad *Aliciam* quam regnante *Henrico Tertio* in uxorem duxit *Radulphus de Issoduno* in *Gallia*, posterique lauto patrimonio in *Anglia* exciderunt, quod ad *fidem* (ut *jurisconsulti* tunc loquebantur) *Regis Franciæ* essent. Cæterum ut primis *Normannorum* temporibus nobiles in hoc agro *Hastingi* & de *Hastings* dicti fuerunt, è quibus *Matthæus de Hastings* *Mannerium de Grenocle* ea lege tenuit, ut inveniret ad hunc portum remum quando *Rex transfretaret*: ita nunc illustris *Hastingorum* familia, qui *Huntingdoniæ* sunt *Comites*, hoc titulo de *Hastings* lætatur. *Edwardus enim IIII* hunc cum quibusdam, ut vocant, *Regalibus* *Guilielmo Hastingo* *Cubiculario* suo contulit. Qui à *Cominæo* laudatur, quod cum à *Lodovico XI Gallorum Rege* annuam pensionem acceperit, induci non poterat, ut *Gallo Apocham*, sive *Chirographum* traderet. Ut meum, inquit *Chirographum* inter rationes *Quæstorum ærarii Gallici* conspiciatur, minime committam. Verum hic in *Regum* amicitiam se totum immergendo, prorsus seipsum demerfit. Dum enim in privato consilio liberius cum tyranno *Richardo Tertio* loqueretur, inopinato abreptus, & indicta causa actutum capite truncatus. Nec tacendum est *Regem Henricum Sex-*

tum *Thomam Hoo* virum egregium quem in ordinem *Georgianæ militiæ* adsciverat, titulo *Baronis de Hoo & Hastings* exornasse, cujus filias & hæredes *Galfredus Bollen*, à quo materna origine *Regina ELIZABETHA*, *Rogerus Copley*, *I. Carew*, & *Io. Devenish* in uxores duxerunt.

Sinuoso inde recessu excavatur littus, cui imponitur *Winchelsey*, quod cum ejusdem nominis antiquius oppidum, Saxonice *Wincelsca* dictum, inhorrescente Oceano absorberetur anno *M CCL* (quo tempore facies terrarum hic & in vicina *Cantii* ora, valde immutata) regnante *Edwardo Primo* constructum erat. Situm ob oculos *Th. Walsinghami* verbis proponam, *Super montem sita est præruptæ altitudinis ex eo latere; quo vel mare respicit, vel imminet navium stationi, unde via quæ ab ea parte ad portum ducit, non in directum, ne nimia declivitate descendentes in præcipitium, vel ascendentes reperere potius manibus, quam ambulare cogat, tenditur: sed obliquata in latus, nunc ad unam partem, nunc ad aliam sinuosus flexibus sæpe recurvatur*. Primum aggere cingebatur, postea mœnibus validis; vixque florere cœpit, cum à *Gallis* & *Hispanis* direpta, subducentreque se Oceano, subito quasi defloresceret. Ex hujus occasu, & Oceani beneficio *Rhie* in proximo effloruit, sed potius refloruit, olim enim floruisse, & *Guilielmum Iprensis* *Cantii Comitem* munivisse, *Ipres tower*, id est, *Turris Iprensis*; & immunitates quas cum quinque portibus communes habet, satis doceant. Sed vel ex *Winchelseiæ* vicinitate, vel maris recessu, superioribus sæculis diu jacuit; at cum illa jam elangueret, *Edwardo Tertio* regnante, respirare cœpit, qui mœnibus inclusit; patrumque memoria, Oceanus, ut injuriam, quam fecerat, cumulate refarciret, tempestate insolita concitatus ita irruit, & se insinuavit, ut portum perquam commodum effecerit, quem & alia nostra memoria tempestas non parum juvit. Ex quo tempore, incolis, ædificiis, piscatura, & re nautica non mediocriter refloruit, hodieque usitatus hinc est in *Normanniam* trajectus. An vero nomen habet à *Rive* *Normannica* dictione, quæ ripam significat, non facile dixerim. Cum tamen in actis publicis sæpissime *Ripa* Latine, & qui hinc pisces deferunt *Ripiers* dicantur, in hanc partem propendeo; magisque sane propenderem, si hanc vocem pro littore *Galli*, ut *Plinius* ripam, usurparint.

In hunc portum se effundit *Rother* sive *Rither* fluvius, qui ad *Ritheramsfeld* (sic enim prisca *Anglis* vocabatur qui nobis *Rotherfeld*) emissus per *Burgwash*, olim *Burghersh*, quod suos eodem cognomine *Dominos* habuit, inter quos fuit *Bartholomæus* ille de *Burgwash* vir suo seculo magnus, qui gravissimis legationibus & *Aquitanicis* bellis spectatus prudentia & fortitudine promeruit ut *Baro* regni crearetur, in ordinem *Georgianum* in ipsa prima institutione inter fundatores cooptaretur, & castro *Doverensi* portubusque ut præficeretur. Nec filius eodem prænomine degener summo splendore vixit, sed unicam tantum reliquit filiam in familiam *Le Despencer* elocatam, à qua magnus superest nobilium proventus. *Baronem* etiam suum *Guilielmum de Echingham* tempore *Edwardi Secundi* habuit *Echingham* quod proximum est, cujus majores *Seneschalli*

26. H. 6.
Barode,
Hoo, &
Hastings.Winchel-
sey.

Rhie.

Rother fl.
Burghersh
Barones.Echin-
gham
Baro.